

**Commentatio anatomico-pathologica de testiculorum in scrotum
descensu : adjecta nova de crypsorchide observatione / auctore Ernesto
Gotthelf Bredahl.**

Contributors

Bredahl, Ernst Gotthelf.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : Reclam, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/suc259sj>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8

COMMENTATIO
ANATOMICO - PATHOLOGICA
DE
TESTICULORUM IN SCROTUM

DESCENSU

A D J E C T A

NOVA DE CRYPTS ORCHIDE OBSERVATIONE.

A U C T O R E

ERNESTO GOTTHELF BREDAHL

MED. DOCT.

CUM TABULA AENEA.

L I P S I A E.

A P U D R E C L A M.
M D C C C X X I V.

СИДОР
СИДОРОВ
СИДОРОВА
СИДОРОВЫХ

ЛУЧШИЕ СИДОРОВЫЕ

СИДОРОВЫЕ
СИДОРОВЫЕ

EXPLICATIO TABULÆ.

Conspectus anterioris abdominis atque pelvis partis e regione super umbilicum usque ad extremitatem superiorem utriusque femoris. Delineationem hancce egregiam Experiensissimus Cerniti, cui eam debo, secundum praeparatum perficere curavit.

Parte inferiori aponeuroseos muscularum obliquorum descendentium abdominis usque ad ejus marginem inferiorem sive arcum cruralem, sive ligamentum Ponpartii desumpta, situs testiculi inter hoc atque musculum obliquum abdominis adscendentis appetat.

In dextro latere per tunicam vaginalem testis apertam testis atque epididymis conspicitur. Scrotum atque mons veneris paulo antrorsum sunt protrusa, sicuti externa eaque tenuis fasciae cruralis musculos femoris hoc loco circumeuntis lamina super vasa cruralia desumpta est.

AA. Aponeurosis muscularum externorum obliquorum abdominis.

BB. Pars internorum obliquorum abdominis muscularum, quae a muscularum externorum abdominis aponeurosi denudata est.

CC. Musculi pyramidales.

aaaa. Margo, a quo musculi externi obliqui abdominis abscissi sunt.

bbbb. Arcus crurales sive ligamenta Fallopii.

c) crus internum.

d) crus externum sinistri musculi externi obliqui descendentis abdominis, inter quae crura annulus abdominalis sive apertura externa canalis inguinalis reperitur.

e) Funiculus vasorum seminalium atque nervorum extenorū nec non telae cellulossae per annulum abdominale progrediens.

f) Arteria spermatica externa.

g) Vena spermatica.

h) Nervus dextri lateris spermaticus externus.

- ii) Apertura interna canalis inguinalis.
- k) Tunica vaginalis propria testis sinistri lateris.
- III) Tunica vaginalis dextri lateris dissecta.
- m) Testis.
- nn) Epididymis.
- o) Tunicae vaginalis testis lamina interna.
- p) Lamina ejus externa.
- qq) Annulus cruralis.
- rr) Arteria cruralis.
- ss) Vena cruralis.
- tt) Linea alba.
- u) Umbilicus.
- D) Penis.
- E) Scrotum.
- FF) Extremitas femoris superior, cuius musculi a fascia lata adhuc circumdantur.



J.F. Schreiter ad nat. col. et sc. Lipsiae.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22372714>

P R A E F A T I O.

Cursu academico superato, cum argumentum dissertationis inauguralis antiquo more atque lege desideratae eligere vellem, egregii praeparati anatomici ab Exper. *Cerutti*, Anat. pathol. Prof. extraord. in preelectionibus demonstrati et in Museo academie nostrae asservati memini. Qua quidem occasione eo Inben-tius usus sum, cum hic casus rarioribus adnumerandus sit et Exper. *Cerutti*, praeceptor meus pie colendus, delineationem hujus praeparati jam diu ad na-turam confectam benevole mecum communecaverit, qua de re etiam nunc ipsi gratias publice ago debitas. Hoc autem argumento ita uti statim apud me constitui, ut recentissimas clarorum virorum de testiculorum ex abdomine in scrotum descensu sententias, breviter enarrarem, simulque, quo modo hic nor-malis evolutio procedat, demonstrarem, tum aberrationes a norma ac pertur-bationes huius actionis earumque effectus vestigarem, denique, observationibus quibusdam huc spectantibus additis, illum casum rariorem adjicerem. Etiamsi vero hanc rem non ita, uti anatomicus expertus atque medicus practicus tra-ctaverim, quod lector libelli mei tironi benevole indulget, hanc tamen obser-vationem recentiorem, quam adiunxi, utilitatis omnis non expertem esse puto.

§. 1.

De modo, quo descensus testiculorum ex abdomen in scrotum, si partes cum iis conjunctas et in abdominis cavitate inclusas spectaveris, procedit, atque diversa testiculi involucra efformantur, non solum jam veteres anatomici ac physiologi dissentiebant, sed etiam recentiores adhuc dissentunt. Quod ita esse e recentissimis *Blumenbachii* ¹⁾ *F. Meckeli* ²⁾ *Langenbeckii* ³⁾ et *Seileri* ⁴⁾ explicationibus atque commentationibus satis superque appareat.

Interea hunc descensum breviter descripturus Exp. *Seilerum* Professorem celeberrimum Dresdanum ducem mihi elegi, convictus hoc praestantiorum ducent me vix invenire potuisse; nam hic anatomiae magister sagacissimo ingenio instructus, partim rem explicando, nec non in eum finem id adhibendo

1) *Instit. physiol.*, ed. 4ta. Goetting. 1821.

2) *Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie*. Halle 1805, et *Handbuch der Anatomie* 1820.

3) *Commentatio de structura peritonaei, testiculorum tunicis eorumque ex abdomen in scrotum descensu etc.* Goetting. 1817.

4) *Observat. nonnull. de testiculorum ex abdomen in scrotum descensu etc.* Lipsiae 1817.
Praeterea A. Scarpa, *Neue Abhandlung über den Schenkel- und Mittelfleischbruch u. s. w. mit einer Anleitung zur Zergliederung der Leistengegend und einer Erläuterung der Entwicklungsgeschichte der Hoden vermehrt von Dr. Seiler*, mit Kupfern. Leipzig 1822. Quod quidem opus recentiores Seileri opiniones continet ideoque mihi fontem praebuit uberrimum.

atque aestimando, quod jam notum erat, summa perspicuitate et claritate est usus, partim vero ipsi contigit, ut perscrutationibus atque sectionibus embryonum diversas testiculorum descensus periodos exhibentium per plures annos institutis, quae quidem occasio haud frequens occurrit, adjutus atque eductus, descriptionem hujus processus attentione profecto dignissimi tam egregiam edere posset.

Praeparata illa eximia in Museo anatomico Academiae chirurgico - medicae Dresdensis asservata *Seileri* indefesso studio atque diligentiae debemus ad eaque factae delineationes, operique ipsius adnexae, descensus testiculorum descriptionem optime illustrantes, confectae sunt, quae junctim nihil fere optandum relinquere, veritatemque egregie confirmare videntur.

Testiculi, ut satis constat, non in seroto oriuntur, sed conformatio ipsorum in abdominis cavitate incipit. Circa medium tertii mensis, aut versus hebdomadem decimam post conceptionem circiter extremitate superiore inferiorem extremitatem renum attingunt. Hoc demum tempore eos tanquam organa sexui virili peculiaria, nullo antea embryonis sexus discriminé apparet, oculis percipere possumus. In utroque quidem inferioris partis cavi abdominis latere corpuscula ovata luteo - rubra conspiciuntur, e quibus filum album, ad medium cavitatis abdominis partem porrigitur, sed in iis, neque ovariorum, neque testiculorum forma atque fabrica discerni potest. Testes ovariis sunt longiores; superficies eorum anterior est paulum convexa; posterior vero concava; a superiori parte versus inferiorem, parum tamen ab exteriore facie versus inferiorem declinant; ante musculum iliacum, quem propomodum tegunt, siti spatum inter diaphragmam circum cruralem relictum fere totum explent. Epididymides in margine posteriore didymidum aequa cum his altitudine sitae probe conspici possunt; ex ipsorum extremitate inferiore, vas deferens statim in pelym parvam descendit. A sexto inde mense epididymis magis increscit,

quam didymis, hujusque extremitatem superiorem jam paululum superat, qua sub forma permanente etiam serius appetet.

Illo tempore, quo testiculus in abdominis cavitate commoratur, ipsius conditio, quod ad saccum peritonaei atque externa involucra serosa, quae organa illi inclusa ab eo accipiunt, attinet, nequaquam differt a viscerum reliquorum, quae in hoc sacco insunt, conditione. Ab anteriore enim superficie musculi psoas majoris *peritonaei duplicatura seu plica* mesenterio similis ad didymidem atque epididymidem proficiscitur, vasa spermatica, vas deferens, nec non gubernaculum Hunteri includit, testem totum, epididymidem vero usque eo tantum obducit, ut eo loco, quo utraque illius plicae lamina, (ut super externam atque internam superficiem didymidis extendatur), a se invicem recedit, parvum spatium tela cellulosa solummodo obtectum sit relictum, per quod vasa in epididymidem intrant, ex eaque egrediuntur. Eodem igitur prorsus modo, quo vertebrarum lumbalium superficie *duplicatura seu plica* adnexa intestinis tenuibus mesenterium praebet, peritonaei processus ille vasa eorum inter duplarem laminam includit ac superficiem externam tanquam membrana serosa obducit.

Illa quidem plica formae est fere triangularis, cuius margo longior juxta musculum psoas magnum situs est, superior margo paulum concavus, externus cum interno convergit, ac uterque super internum marginem arcus cruralis, ubi, usque ad mensem quintum, *excavatio sive sulcus* peritonaeo non alte impressus primum canalis vaginalis vestigium invenitur, (qui senioribus mensibus ab hoc ipso loco duci incipit), in angulum exit obtusum. Atque ita revera se habere situm et structuram ^{partis} organicae jam *Hunterus* ⁵⁾

5) Observations on certain parts in the animal Oeconomy. Lond. 1786. No. I. Description on the situation of the testis in the foetus with its descent in the scrotum.

Vic d'Azyr ⁶), *Brugnone* ⁷), *Tuminati* ⁸), *Lobstein* ⁹), *Blumenbachius* ¹⁰) et *Hildebrandtius* observarunt. Haec plica mesenterica cum versus annulum abdominis coarctatur, gubernáculo Hunteri, quod obtuso - conicum est, accepto, eandem, qua hoc gaudet ¹¹), formam induit, et in margine posteriore, ubi lamina ejus duplex a se ipsa recedit, spatium tantummodo exiguum relinquit, peritonaeum ab illa regione super arcum cruralem ad pilei digitorum instar undique ascendere videtur, ut canalem cylindroideum aut inferius obtusum conicum efficiat, qui gubernaculum Hunteri circumdat, cuius apex obtusus infra, basis vero supra in extremitate testis inferiore sita est. Hanc plicae inferiorem partem sacculum undique clausum referre quidam statuerunt, qui ipsi dederunt nomen *processus vaginalis*, quod putarunt testem se in ipsius apicem collocare, eumquic in scrotum descendendo invertere, ita ut in canalem vaginalem mutaretur. Atque hoc de hac re iudicium *Camperus* ¹²),

Germanice: J. Hunter's Bemerkungen über die thierische Oekonomie. Im Auszuge übersetzt von Scheller, neue Auflage. Braunschweig 1813.

- 6) Recherches sur la structure et la position des testicules, in hist. de l'academie royale de sc. an 1789.
- 7) De testium in foetu positu, de eorum in scrotum descensu etc. Aug. Taur. 1785.
Germanice in Kühns und Weigels ital. med. - chirurg. Bibl. 1. B. I. St. Leipzig 1799.
- 8) Richerche anatomiche intorno alle tonache dei testicoli. Venez. 1790. *Germanicus* ibidem II. Bd. Leipzig 1794.
- 9) Recherches et observations sur la position des testicules dans le bas ventre du foetus et leur descense dans le scrotum. Paris 1801.
- 10) Op. ejus jam supra cit.
- 11) Lehrbuch der Anatomie u. s. ... ~~und~~ III.
- 12) Kleine Schriften II. Leipzig 1783.

Hallerus ¹³⁾, *Palletta* ¹⁴⁾, *Girard* ¹⁵⁾, *Pancera* ¹⁶⁾, *Wrisberg* ¹⁷⁾ tulerunt et *Langenbeckius* ¹⁸⁾ itidem testis mesenterium hac ratione formari atque inverti contendit. Hie igitur processus vaginalis nihil aliud est quam illius plicae mesentericae pars inferior, quae, sicuti superior pars, e duabus, ante musculum iliacum internum et psoas, laminis coeuntibns componitur, neque vero sub forma pilei digitorum usque ad inferiorem epididymidis extremitatem ascendit, neque undique clausus est, ideoque etiam inversione in canalem undique clausum commutari nequit, secuti hoc in canali vaginali invenitur.

Seilerus omnem illam plicam Excellentissimo *Kühnio* suadente, ex analogia *Mesorchium* (*Μεσορχιον*) atque inferiorem plicae partem, si forsitan nomine proprio consignare eam voluerimus, *Mesorchiagogos* (*Μεσορχιαγωγος* a μεσος et ογκιαγωγος gubernator testis) nominari cupit.

Gubernaculum Hunteri si plane est evolutum atque conformatum, funiculum sistit maxima ex parte e tela cellulosa conflatum, subrotundum, inferius obtusum, et conicum, qui a scroto per annuluni abdominis ad inferiorem epididymidis extremitatem ascendit, atque in utramque inferioris partis mesenterii testis laminam, quemadmodum supra ostendimus, includitur. Namque processus est illarum aponeurosum atque fibrarum muscularium, quae, postquam testis in scrotum pervenit, funiculo spermatico involucra praebent. Pars su-

13) *Elem. phys. corp. hum. Tem. VII.*

14) *Nova gubernaculi testis Hunteriani et tunicae vaginalis anatomica descriptio Mediol. 1777. Edit. Sandifort. Eugd. Bat. 1788.*

15) *Osservazioni e risless. intorno alla tunica vaginale del testicolo* (in Vol. V. *Memorie di Verona.*)

16) *De testis humani in scrotum descensu Vienn. 1788.*

17) *Observ. anat. de testiculorum ex tempore in scroto recessu. Goetting. 1779.
(In *Wohl o. comment. med. phys. Vol. I. Goetting. 1800.*)*

18) *Op. ejus jam supra cit.*

periōr latiorque e materie conflatur gelatinosa, interna vero materia cellulosa, circa quam fibrae musculares jacent, quae itidem a tela cellulosa, peritonaeum proxime attingente et serius tunicam vaginalem communem exhibente teguntur. Hae vero laminæ sive strata non quidem ab initio, sed serius solummodo, neque tunc quoconque in foetu aequa distincta atque expressa conspiciuntur, unde factum est, ut variae de hoc gubernaculo ferrentur a doctis viris sententiae.

Sub finem mensis quinti testiculus descendere incipit, atque sensim situm suum ita mutat, ut arcens cruralis denique superficiem posteriorem proxime attingat. *Sulcus* ille parvus, (vid. supra) quem peritonaeum in externa et anteriore mesenterii testis sive processus vaginalis superficie exhibuit, in foveam parvam jam commutatus est; peritonaeum inter crura annuli abdominis sicuti sacculus parvus prominet, gubernaculum simul Lrevius quidem, sed crassius evadit atque ita descensus testiculi, nec non canalis vaginalis formatio, quae testiculi egressum e cavitate abdominis aequo semper modo praecedere solet, incepit. Testis igitur neque in superiore processus vaginalis extremitatem se collocavit, neque eam sicuti digitum manicae invertit, quemadmodum hic processus adhuc describebatur, sed canalis vaginalis in annulo abdominis jamjam nasci coepit, antequam testis super eum collocatur, et gubernaculum simul cum eo egreditur, neque a teste descendente invertitur. Haec dnm ita fiunt, utraque mesenterii lamina magis magisque a se invicem recedit, plicaque fit brevior et arctior, usque dum canalis vaginalis omni ex parte perfectus, laminæ mesenterii plane evolutae et vasa spermatica, quae antea ab eo includebantur, nunc in externa peritonaei et canalis vaginalis superficie sita inveniuntur.

Descensum vero testis in huncce canalem non sic, uti intestina tenuia, mesenterio lato adnexa, partem peritonaei remotam propellunt, ita ut saccus herniosus, intestinis jam repositis, supersit, sed hunc forsitan in modum procedere suspicari debemus, quo intestinum coecum brevi solummodo peritonaei

processui adnexum, hanc membranam, unde saccus herniosus oritur, propellit atque cum ea conjunctum manet. At enim vero cum utraque mesenterii testis lamina inter ipsius descensum a se ipsa recedat, quando ad posteriorem arcus cruralis superficiem usque pervenit, circa testem, si respicimus rationem, qua adnectitur, eadem prorsus conditio locum habet, quae circa intestinum coecum obvenit, itaque etiam cum ea hujus membranae parte, quae illud organum praecedens canalem vaginalem constituit, in superficie posteriore conjunctum, neque liberum in hocce canali jacens, invenitur.

Mense septimo ad finem vergente testis plerumque super canalis vaginalis orificium, aut ex parte jam in ipso canali reperitur. Mense octavo is ut plurimum per annulum abdominis usque ad regionem inguinalem, ubi aliquamdiu commorari solet, atque tandem priori mensis noni parte usque ad fundum scroti descendit. Quod ad menses attinet, quibus (et quidem inde a sexto) mutationes hic descriptae eveniunt, nonnunquam varietas quaedam observata est, scriptoresque circa hanc rem inter se dissentunt, attamen plerique et prae ceteris *Lobsteinius*, qui multas hic pertinentes observationes collegit, in definiendis periodis cum *Scilero* convenient.

Jam testiculo ad fundum scroti delato, canalis vaginalis inde ab annulo abdominalis usque ad marginem superiorem testis paulatim obturatur, ita ut tunica vaginalis propria testiculi, hujus canalis veluti residua pars, solummodo remaneat. An praeterea aliae canalis vaginalis reliquiae supersint, in dubium vocandum esse ad hoc usque tempus videbatur. *Meckelius*¹⁹⁾ aliquid tale superesse, negat; interim jam olim *Bidloo* et *Couper* tales hujus canalis reliquias in corpore virili detecterunt atque descripsérunt, de quibus *Vicq d'Azyr* primus accurate retulit; sic etiam *Brugnone* eodem tempore talem residuam portionem vidit, cui *habenculae* nomen dedit; *Scarpa* dein hanc observationem

19) *Handbuch d. Anat. B. IV. pag. 506.*

confirmavit, eamque seriore tempore *Schregerus*, *Cloquet*, et *Seilerus* repetierunt et descripserunt.

Schregerus eas *ruinas processus vaginalis peritonaei* et *Cloquet* prolongement du peritone et poche sereuse nominat. Celeberrimi *Seileri*²⁰⁾ perscrutationibus omne de earum praesentia dubium remotum est. In cadaveribus virorum, qui annum aetatis sexagesimum jam adepti erant, lineam cellulosa tanquam canalis vaginalis ruinas, atque in cadaveribus juniorum hanc earum partem haud raro apertam cl. vir invenit. Id quod ex ejus scrutationibus prodit, maximi est momenti: tunc enim aut in apertura canalis inguinalis posteriore inque foveola, super quam parva peritonaei plica sicuti valvula erat extensa, orificium apparuit, quod in canalem unum aut duos pollices transversos longum dicit, aut e cavitate tunicae vaginalis propriae testis usque ad vicinias annuli abdominis protendebatur. *Schregerus*²¹⁾, chirurgus doctissimus, hujus rudimenti notitiam primus in usum chirurgiae practicae convertit.

Nihilominus tamen tempus, quo obturatio incipit, quoque finitur, non certo iudicari potest. *Seilerus* cum *Schregero*²²⁾ quatuor stadia constituit, in quibus canalis vaginalis sensim sensimque obturatur et penitus tandem evanescit. In plerisque recens natis infantibus partem aliquam canalis vaginalis per brevius longiusve tempus patere, *Camperi*, *Schregeri* et *Seileri*²³⁾ observationibus, iisque saepenumero institutis, comprobatum est. *Palletta* statuit, si hicce canalis die vigesimo aut trigesimo post partum plane obturatus fuerit, ex norma id factum esse. Secundum *Meckelii* sententiam²⁴⁾ hic canalis cum

20) Vide ejus Anhang zu Scarpas neuer Abhandl. pag. 393.

21) Ueber den Wasserbruch des Scheidencanals. Cf. Abhandlungen der phys. mediz. Societät zu Erlangen, I. pag. 350.

22) Ibid. pag. 345.

23) I. c. pag. 381.

24) I. c. IV. pag. 505.

eo avo peritonaei, in primis si omnia ex voto succedunt, nec a recto tramite aberrant, per paucas tantum hebdomades conjunctus est, ita ut, primis post partum mensibus praeterlapsis, plane sit clausus, cuius obturatio imperfecta *herniae congenitae* originem praebet.

Quod ad causas attinet, quae testiculos ad descendendum impellunt, plures commemoratae sunt a doctis viris, de quibus *Danzius*²⁵⁾, *Tuminati*²⁶⁾, *Rosenmerkelius*²⁷⁾ et *Seilerus*²⁸⁾ retulerunt, quae tamen actioni illi explicandae omnino non sufficient. Hoc cognitum habemus, descensum testiculorum mechanica prorsus ratione evenire atque aut respirationi viscera abdominis agitanti et prementi (*Haller*), aut ipsi testiculorum ponderi, (*Haller*, *Pott*) aut majori sanguinis in vasa eorum affluxui, (*Haller*, *Tuminati*), aut contractioni inversionique gubernaculi Hunteri tribuendum esse. Quas vero opiniones argumentis ad persuadendum idoneis destitutas esse, *Meckelius*²⁹⁾ aliisque cl. viri, ut *Blumenbachius* et *Rosenmerkelius*, recte monuerunt. Nihilominus *Meckelius* iudicat, contractionem gubernaculi nonnihil ad testiculum e sede sua depellendum conferre, atque ita certe partem hujus actionis perficiendae in se suscipere, ad quam sententiam ferendam perductus est observationibus, quas fecit, cum gubernaculum in animalibus ad curatius examinaret, nam testes vicissim nunc extra, nunc intra cavum abdominis sitos, majori fibra rum copia instructos atque stipatos reperit. Hac in re *Seilerus*³⁰⁾, cum illo con-

25) Grundriss der Zergliederungskunde der neugebornen Kinder 1792. Bd. 2. pag. 165.

26) I. c.

27) Ueber die Radicalcur des in den Weichen liegenden Testickels, bei nicht vollen detem Descensus desselben. München 1820.

28) Observ. nonnull. de testic. ex abd. in scrotum desc. etc. p. 36.

29) I. c. IV. p. 609.

30) Anhang zu Scarpa etc. pag. 393.

sentit, dum iudicat, causam principem hujus processus, pari modo, ut sufficientes rationes aliarum formationum innumerabilium, nos fugere.

§. 2.

In paragrapo praecedente descensum testiculorum ex abdomen iu scrotum, sicuti sub foetus evolutione normali procedit, enarravi atque descripsi. Sed hunc processum haud raro etiam a norma recedere constat. Aberrationes vero, quae hoc respectu occurrunt, sunt fere hae:

- I. Descensus praematurus:
- II. Descensus inaequalis, ita ut alter testis prius, alter serius in scrotum deveniat:
- III. Alterutrius testiculi egressus una cum omenti aut intestinalis ductus parte (*Hernia congenita*):
- IV. Descensus aut utriusque, aut alterutrius testis in scrotum plane cohibus (*cryptorchis-monorchis*).
- V. Testiculorum aut consueto aut non normali loco eveniens senior progressus: his annumerari etiam potest ille status, ubi canalis vaginalis aperatus manet. (*Hernia neonatorum*.)

Iam ea, quae sequi solent, si natura hoc vel illo modo a recta aberrat via, paucis referre et studiose illustrare conabimur, ita, ut gravissima et frequentissima, eaque de causa commemoratu dignissima, p[ro]ae ceteris notemus, quippe quae medicorum atque chirurgorum attentionem praecipue mereri videntur.

Rarissime tantummodo fit, ut *prius*, quam par est, testiculi descendant; nam *Wrisbergium*³¹⁾ solummodo in duobus tantum embryonibus quatuor

31) In Loders Journ. Bd. I. pag. 175. Cf. Meckel Handb. der Anat. B. IV. pag. 606 et Voigtel Handb. d. pathol. Anat. III. pag. 394.

vel quinque mensium haec organa in scroto reperisse et canalem vaginalem clausum vidiisse, mihi innotuit. Atque similem observationem etiam *Brugnone*⁵⁴⁾ in foetu septem mensium fecit.

Descensus vero testiculorum inaequalis, quo fit, ut alter multo prius altero in scrotum perveniat, teste *Meckelio*⁵⁵⁾ saepe habet locum. Is qui, longo tempore post descendit, effectus, atque morbosa varia symptomata eaque admodum gravia, quae infra commemorabo, producit; imo ipsam mortem adducere potest.

Si una cum testiculo *intestini* aut *omenti* pars descendit, species inde oritur herniae peculiaris, quae *hernia congenita* vocatur. Hoc quidem nomen olim omnibus iis datum fuit herniis, apud quas tunica vaginalis locum sacci herniosi obtinere, atque omentum aut intestina testem ipsum attingere solent, at vero recentioribus demum temporibus, hernia congenita accuratius examinata atque ab ea herniae forma disjuncta est, quae apud recens natos infantes vel apud provectionis aetatis pueros quandoque oritur. Hernia quippe ea solummodo *congenita* dici meretur, *cum omenti* aut *ductus intestinalis* portio jam in *abdomine* cum testiculo concrevit, eunque, dum descendit, in *scrotum* concomitantur, quam abnormitatem *Sandifort*⁵⁶⁾ et *Wrisberg*⁵⁷⁾, observarunt. Aliae insuper partes vicinae, e. g. *intestinum coecum* atque *testis dexter*, ob nimiam plicarum peritonaei brevitatem, jam primitus nimis arcte inter se conjunctae esse possunt⁵⁸⁾. Hernia e contrario, quae apud recens - natos

54) De testium in foetu positu, de eorum in scrotum descensu etc. *Germanice* in Kühn und Weigel ital. med. chirur. Bibl. 1. Bd. 1. St. pag. 12.

55) Handbuch d. Anat. IV. pag. 606.

56) Icon. hern. inguin. congenit. Lugd. Bat. 1781.

57) I. c. in ej. Comment. Vol. I. pag. 229.

58) ibid, pag. 233.

infantes vel paulo serius oritur, atque proinde haud est congenita, secundum *Astley Cooper*, majori jure *herniae tunicae vaginalis* nomine insigniri potest³⁹⁾.

Illos pueros, in quorum abdomine uterque testiculus retinetur, *cryptorches* sive *testicondos*, (*Κρυπτοχιδας*), illos, apud quos alter solummodo testiculus remansit, *monorches* nominare solemus. Jam autem testiculi, nisi per annulum abdominalis in *scrotum* descendunt, vel in abdomine ipso, vel inter musculos abdominalis sedem habent suam, interea raro quidem eo in loco, ubi orti sunt, inveniuntur; attamen *Grandi* eos aliquando in utroque latere, *Meckelius*⁴⁰⁾ autem in nonnullis foetibus, in quibus insuper aliae deformitates, eaeque a prima origine natae, praesto erant, in dextro solummodo latere reperit. Multo frequentius interea haec organa retro annulum abdominalis inter musculos abdominalis, in infantibus non minus, quam in adultis, et in his quidem ad provectionem usque aetatem remansisse observatum est. *Stoerkius*⁴¹⁾ e. g. utrumque testiculum viri duo de sexaginta annorum in abdomine adhuc invenit, et *Robertson*⁴²⁾ apud virum quadragenarium has partes descendisse vidit. Inter multa illa cadavera, ait *Seilerus*⁴³⁾, quae dissecui et perscrutatus sum, unicum modo inveni virum triginta quinque annorum, eumque patrem plurium liberorum, cryptorchiden; et inter plus quam mille et quingentos viros, qui vivi mihi, ut medico publico praefecturae Vitebergensis, quum

39) A. Cooper über die Leistenbrüche. A. d. Engl. von Krutge. — Meckel, Handb. d. path. Anat. I. pag. 695. — Scarpa und Seiler I. c. pag. 177. et Richerand, Grundriss der neueren Wundärzneik. IV. pag. 149.

40) Handb. d. path. Anat. I. pag. 691.

41) Ann. Med. I. pag. 115.

42) Annales of Medicine for 1799 IV. by Duncan. Lond. 1800. Cf. Voigtel I. c. III. pag. 395.

43) Observat. nonnullae testicularum desc. etc. pag. 43.

militum delectus haberetur, explorandi erant, omnino nullum, in quo haec deformitas adfuisset, reperi, nisi juvenem viginti annos natum, cui testes retro annulum abdominis haerebant, huc referre velim; at vero unum aut alterum testiculum aliquoties, attamen non adeo frequenter in scroto desideravi. Plures alios similes his, de quibus modo locutus sum, casus *Bartholinus*, *Borrichius*, *Duverney*, *Fantoni*, *Hebenstreit*, *Marchettis*, *Osiander*, *Soemmeringius*, *Meckelius*, et iam ante hos Auctores Ephemeridum Natur. Curios. litteris mandarunt ⁴⁴⁾. Sed inter illas, de quibus *Riolanus*, *Schenkius*, *Bonetus* et *Schurigius* referunt observationes, quae huc spectant, saepe crypsorchides occurrisse crediderim ⁴⁵⁾.

Iam vero quaeritur, an, si testiculi in abdomen retinentur, incommoda inde producantur nec ne? Viros, quorum testes in scrotum non descendunt, *ad exercendum coitum aliis procliviores esse* observatio est memorata sane dignissima. Portal ait ⁴⁶⁾: „*certaines individus ont jouis de toutes les facultés prolifiques, sans avoir des testicules dans les bourses.* Quelques auteurs ont même prétendu, que de pareils sujets étoient plus inclins a l'acte de la génération. (Arnaud Mem. de Chir. T. I. p. 107.⁴) Hanc etiam sententiam protulit Richerand ⁴⁷⁾, qui dicit: „Hoden, die das ganze Leben hindurch im Unterleibe eingeschlossen bleiben, sind jedoch nicht weniger geeignet, ihre Function zu erfüllen, wie die Erfahrung an Menschen bewährt, die das Leben fortgepflanzt haben, obgleich das Scrotum keine Hoden enthielt. Vielmehr sind nach der Behauptung einiger Schriftsteller solche Individuen, an welchen man diesen Zustand wahrnimmt, zur Fortpflanzung tauglicher, und

⁴⁴⁾ Cf. *Voigtelii*, *Meckeli* atque *Seileri* op. jam pluries cit.

⁴⁵⁾ Portal, Cours d'Anatomie méd. etc. T. V. pag. 429.

⁴⁶⁾ Ibid. pag. 429.

⁴⁷⁾ I. c. V. Th. pag. 58.

überlassen sich diesem Acte öfterer und mit mehr Kraft, weil die in dem Unterleibe zurückgebliebenen Hoden daselbst stets von einer milden und eindringenden Wärme gleichsam gebähet werden.“ Atque hanc opinionem causus sub finem huius libelli descriptus comprobare videtur. *Hic enim juvenis viginti circiter annorum, cuius testes inter musculos abdominis haerebant, jam a prima pueritia manustupratiōni tanta cupidine erat deditus, ut, sicuti ipse ajebat, nullo prorsus pacto a committendo hoc flagitio abstinere posset. Imo cum jam morbo laboraret, quo periit tandem, huic vitio tetro, quod vim ipsius vitalem extinxerat, continuo indulxit.*

Hunterus ⁴⁸⁾ atque *Meckelius* ⁴⁹⁾ quidem, testiculum in abdomen retentum non plane evolutum esse, ideoque ad munera, quibus fungi debeat, parum vigoris atque alacritatis afferre contendunt, quam sententiam non minus, propterea quod testiculi retenti minores plerumque reperiantur, quam ea de causa veram esse arguere student, quod pudenda justo incremento justaque forma destituta sint; namque minus perfectos testiculos in abdomen retentos fuisse iis, qui locum occupant a natura ipsis designatum, *Ansiaux, Brugnone, Desgenette, Tabarrani, Boerhaave, Heusmann, Souis, Arnaud, Lepechin*, observarunt ⁵⁰⁾. *At enim haec res ulteriore atque accuratiore perscrutatione adhuc indiget.*

Medico forensi de eiusmodi casu, ubi testes in abdomen absconditi latent, quaestiones proponi possunt; I) *an foemina cryptorchidi nupta, maritum coitū exercēdo imparem vel hermaphroditum praedicans, divortium petere, et II) an cryptorchis de stupro accusatus, se anorchem i. e. testiculis orbatum,*

48) l. c. pag. 26.

49) Handb. d. pathol. Anat. I. pag. 693.

50) Ibid. pag. 694.

ideoque ad liberos procreandos neutquam aptum esse, contendere queat ⁵¹⁾? Casum, qui huc videtur referendus esse, *Filitzius* ⁵²⁾ enarrat: rusticum nimirum de stupro accusatum exploravit, qui, ut facinoris suspicione se liberaret, utrumque sibi testem, quippe contusum atque exulceratum, abscessisse mendax retulit; exploratione deinde instituta, scrotum vacuum quidem fuit, sed testiculi in annulo abdominis inventi sunt, quo facto reus se decipere voluisse confessus est. Examen vero in eiusmodi casu accuratius requiritur, ne judicium feratur iniquum atque injustum. Huc fortassis etiam observatio a *Cabrolo* facta referenda, quam *Portalius* ⁵³⁾ his verbis nobis cognitam reddidit: Il dit, d'avoir dissequé a Montpellier un soldat, que le connétable Montmorency avoit fait pendre, pour avoir violé une fille, et il ne trouva des testicules, ni dans les bourses ni dans le bas-ventre; cependant les vescicules seminales contenoient beaucoup de sperme, mais ce sujet, addit *Portal*, n'etoit il pourvu de testicules que *Cabrol* ne sut pas observer?

Inveniuntur enim viri, qui testes in scroto contentos pro lubitu in abdomen reducere, ibique retinere possunt; tria huius generis exempla *Felix Platerus* et *Voigtel* ⁵⁴⁾ referunt eaque docent, forensem medicum, priusquam in tali casu ad quaestionem ipsi propositam respondeat, etiam inquirere debere, an de concubitu illicito accusatus capax fuerit ad testiculorum normalem situm mutandum, nec ne? Memoratu itidem digna videtur esse observatio, quam *Desgenette* fecit, utpote qui juvenem septemdecim annorum, eumque ob formositatem, qua gaudebat, eo usque pro puella habitum atque educatum

51) Kühn u. Weigel ital. med. chir. Bibl. I. pag. 41 et Metzgers System d. gerichtl. Arzneik. pag. 476.

52) Taschenbuch f. deutsche Wundärzte VI. Bemerk. 1789. Cf. quoque Annalen d. Staatsarzneik. I. pag. 152.

53) I. c. T. V. pag. 429.

54) I. c. III. pag. 398.

nouit; in cuius utroque inguine tumor ortus erat, fortiori corporis intentione praegressa, quem medicus a testiculis procreatum esse mox animadvertisit. Etenim cum tumentes regiones manibus leniter pressisset et quasi foviisset, testes ex pristina sua sede depulsi, atque ad fundum scroti, quod modo laxum atque iners pendebat, delati sunt ⁵⁵⁾. Ceterum in operibus *Clauderii*, *Arnaudii*, *Baethii*, *Schenkii*, *Scultetii*, *Th. Brandii*, *Osianderi* similes recensentur a normali statu recedentes aberrationes, quibus commoti nonnulli fuerunt, ut pueros quandoque pro puellis haberent ⁵⁶⁾.

Accidit etiam, ut ductus intestinalis portio, testiculo diu in abdomen latente, neque ex eo descendente, prolabatur, cuius generis observationes *Foubertus*, *Pott* et *Hallerus* fecerunt et cum eruditis communicarunt ⁵⁷⁾. *Bartholinus* ⁵⁸⁾ in puerō, cuius in scroto testiculi desiderabantur, aliquam ad eundum ineptitudinem animadvertisit, et *Richerand* ⁵⁹⁾ ait, se expertum esse, si testis pone annulum abdominis retinetur, ibique, quod haud raro accidit, adhaeret, tumorem illico oriri dolentem, si digitis premitur, in eoque, si vestimentis nimis arctis, strictisque eiusmodi homines utuntur, aut si pedibus diu incedunt, facile inflammationem excitari. Ceterum hoc vitio laborantes ad negotia militaria subeunda eos ineptos esse idem cl. vir statuit, cum, qualicunque magna intentione praegressa, subito quandoque descendant testes, variisque incommodis haud raro occasionem dent. Deformitas igitur, illa, de qua loquor, malum semper sistit admodum grave et pericolosum. Descensus testiculorum, nisi ante aut circa partum factus est, plerumque, circa pubertatem insequi

55) Journal de Med. 1791. Cf. Hufeland Annalen d. franz. Arzneik. II, Bd. p. 117.

56) Voigtel I. c. III. pag. 367 — 370.

57) Meckel, Handb. d. path. Anat. I. pag. 696.

58) Hist. anat. var. I. I. pag. 169.

59) I. c. Th. V. pag. 56.

solet, quemadmodum observationibus pluribus a *Cannestrino*⁶⁰⁾, *Arnaudio*, *Quellmalzio*, *Kerkringio*, *Brechtfeldio*, *Meckelio*, *avo*, aliisque cl. viris factis constituit. Dignissimus autem est hic abnormis eventus, ad quem animum sedulo advertat chirurgus⁶¹⁾. Et annulus quidem abdominalis haud raro' egressum testiculi impedit, unde dolor, incarceratio ac saepissime etiam ipsa mors sequuntur. Exemplum hujusmodi *Reichel*⁶²⁾ narrat; puer sanus de dolore in regione inguinali dextra, ubi tumor magnitudinem ovi gallinacei aequans erat detectus, subito exorto querebatur; examine instituto detegebatur medicus, hujus lateris testiculum in scroto haud praesto esse: omnia, quae aderant symptoma, herniam incarceratam indicabant; dissecatio mox mortui huius aegroti docuit, ductum intestinalem gangraena correptum esse atque partem intestini ilei simul cum testiculo in annulo abdominalis haerere et ob constrictiōnem, quam erat passa, insignem subiisse mutationem.

Praeterea abscessus quoque, quem praesentem esse suspicio fuerat, aut herniae ob testiculum in annulo abdominalis retentum nota sunt exempla. Sic *Marchetti*⁶³⁾ refert testem pueri novem mensium, ad hoc usque tempus in abdomen retentum in annulum abdominalis transiisse, ibique tumorem dolentem produxisse, qui tanquam abscessus tractabatur. Alium casum huic similem, quem collegae suo *Penchienato* debet, narrat *Brugnone*⁶⁴⁾. Vir quadragenarius febre atque doloribus abdominalis admodum atrocibus vexatus in nosocomium recipiebatur. Causam morbi eius herniam inguinalem dextri lateris esse credebant adstantes. Chirurgus ad vocatus malo mederi studuit sic, ut herniam tractare solemus, repositionem hinc

60) Blumenbach Med. Bibl. B. III. pag. 4.

61) Meckel, Handb. d. pathol. Anat. I. pag. 692.

62) Ludwig Advers med. pract. Vol. III. part. IV.

63) Observat. 58.

64) Kühn u. Weigel l. c. I. pag. 43.

instituit atque bracherium applicavit, quibus factis aegrotus mox doloribus atrocissimis consumptus periit. Sectio funeris commissum errorem revelavit, testiculus quippe retro annulum abdominis contusus atque gangraenosus est repertus. Huic relationi *Brugnone* addit, plures similes casus ipsi obuenisse. *Arnaudius*⁶⁵⁾, virum quadragenarium vidit, cuius testiculus sinister, qui in abdomine remanserat, ante duos annos non per annulum abdominis, sed sub ligamento Poupartii prodit; pro hernia habita fuit haec abnormitas atque bracherio applicato tractata. Simile exemplum, illudque perrarum *Richerand*⁶⁶⁾ narrat, et *Hunterus*⁶⁷⁾ commemorat casum testis non in serotum, sed in perinaeum delati.

Canalem vaginalem post testiculorum descensum sensim sensimque obturari supra monui; interdum vero accidit, ut ille, si non clauditur, herniae apud recens-natos infantes oriundae ausam praebeat, quae, *Coopero* suadente, hernia tunicae vaginalis aptissime potest nominari, quae, ut jam supra indicavi, ab hernia revera congenita valde differat; haec autem herniae forma non tantum apud recens-natos infantes occurrit, sed etiam in adultioribus hominibus, si testes in scrotum delabuntur, observari potest. Casum, qui huc spectat, *Richerand*⁶⁸⁾ refert; juvenis nimirum viginti annorum, cuius testiculi in abdome pone eius annulum latebant, heruiam sibi contraxit, cum fossam translivisset, atque nixu hoc corporis occasionem testiculis per orificium illud descendendi praebuisset. Quod ad differentiam attinet, quae inter utramque hanc herniae formam habet locum, cum *Coopero Richerand* consentit, isque illam, quae sacco hernioso est destituta, (cuius vices tunica vaginalis gerit,) herniam

65) Cf. Voigtel I. c. I. pag. 695.

66) I. c. Th. V. pag. 56.

67) Cf. Meckel I. c. I. pag. 695.

68) I. c. Th. IV. pag. 149.

tunicae vaginalis appellat. Hanc differentiam inter utrumque morbum revera obvenire, celeb. *Scarpa* itidem fatetur⁶⁹⁾, multumque utilitatis in chirurgiam practicam inde redundare putat. Hernia vere congenita Nestor hic chirurgiae ait, plerumque et fortassis semper cum adhaesione intestini aut omenti, quorum portiones inter descendendum testiculus secum deduxit, complicatur, dum e contrario hernia canalis vaginalis, quae apud recens-natos pueros aut serius infantili aetate quandoque, occurrit simplex, neque cum adhaesionibus complicata esse solet. *Scarpa* insuper contendit, pelluciditatem atque tenuitatem, qua saccus herniosus e tunica vaginali oriundus valde superat eum, in quo hernia inguinalis externa vel interna continetur, nonnihil conferre ad utrumque vitium a se inyicem distinguendum. Hoc discrimen haud dubie inde pendet, quod canalis vaginalis processus peritonaei normalis, saccus vero herniosus utriusque generis herniae productio abnormis eaque vi protrusa est. Saccus igitur herniosus hujusce herniae formae atque tunica vaginalis testis, quemadmodum etiam canalis vaginalis non obturatus unus idemque est, atque, si causas rariores exceperis, hac solummodo sub conditione testis cum partibus in sacco hernioso contentis potest unionem inire.

§. 3.

Descriptio Crypsorchidis

sive viri, cuius testiculi retro annulum abdominis inter anteriorem aponeurosin musculi externi obliqui descendantis, musculumque obliquum adscendentem imi ventris remanserant. Hic juvenis, viginti et aliquot annorum, in nosocomio urbis nostrae, cui longe meritissimus *Clarus*, Professor clinices Ordinarius praeest, febre lenta nervosa periit, quem morbum, quod memoratu dignissimum est, manustupratione, cui quam maxime fuit deditus, sibi contraxerat.

69) Seiler l. c. pag. 177.

Praeparatum, quod illam abnormitatem clarissime ante oculos ponit, cuique haec descriptio exacte respondet, e manibus dexterrimis Doct. Bockii, prosecutoris nostri expertissimi prodit atque in Museo theatri anatomici asservatur.

Penis justae est magnitudinis, neque ulla alia in re a norma aberrat. Scroti loco cutis solummodo multis rugis, sulcisque conspicua adest, in ea que, tuberculis valde prominentibus, in quibus pubis foramina apparent, (qua de re superior quoque pars scroti integumentum quasi refert,) obsita, invenitur plica. Haec cutis cavitatem haud format, nec testes, nec funiculum spermaticum continet. Perinaeum ab anterioribus versus posteriora longius protractum est atque raphe, ab inferiore demum parte cutis rugatae incipiens, altius, quam alias fieri assolet, super perinaeum ad anum usque decurrit.

Annulus abdominis in utroque latere perangustus, atque hoc respectu sexus sequioris annulo similis appareat, ex eoque funiculus ex arteria et vena spermatica externa, nervo spermatico et tela cellulosa, cum illa tunicae vaginalis testis infra describenda connexa, conflatus, prodit. Hi canales cum nervis in montem veneris atque entem, penis radicem circumdantem distribuuntur. Praeterea fibrae tendineae ab aponeurosi musculi obliqui descendantis emissae super annulum abdominis transcurrunt, iisque hujus orificium plane obturatur.

Testiculus tunicis vaginalibus suis involutus in ipso canali versus internum eius parietem ita positus est, ut exterius epididymidis caput superiore, cauda vero cum funiculo spermatico, eoque admodum brevi, interius inferiorem partem canalis inguinalis parietis inferioris locum habeat.

Tunica vaginalis propria testis saccum, si eum cum testiculis comparaveris, admodum amplum, longum, subrotundum aut ovatum ab annulo abdominis profectum, aperturamque ipsius internam superantem, tres pollices transversos longum et sesqui pollicem transversum circiter latum, extremitate interna acuta, externa vero potius obtusa atque rotunda instructum, efficit. Hujus sacci margo superior convexus, inferior, qui fundum ipsum canalis ingui-

nalis premit, planus est, in eoque funiculus spermaticus decurrit, quocum, sicut etiam cum vasis, nervisque per annulum abdominis ad montem veneris descendantibus magna telae cellulosae copia conjungitur. Tunicae vaginalis communis loco saccus ille tela cellulosa laxiore circumdatur, cuius ope aponeurosi musculi obliqui externi, musculoque interno obliquo abdominis adnectitur; haec vero tela versus interna valde est densa, sic ut ab extremitate interna contextus cellularis firmioris fasciculus per annulum abdominis progressus in membranam cellulosam montis veneris cum vasis atque nervis transeat. A musculo obliquo adscendente abdominis, in primisque a spina pubis in circuitu posteriori fibrae singulae musculares, quae egrediuntur, cremasteris loco ab interna facie ad externam adscendentes circumvolvuntur.

In latere sinistro peritonaeum juxta vasā epigastrica, ante funiculum spermaticum, per orificium canalis inguinalis internum reflexum est, in eoque brevem atque patentem canalem aut collum tunicae vaginalis propriae testis efficit et ab inferiore regione versus superiora in hancce tunicam vaginalem transit, ita ut per orificium hujus canalis tunicae vaginalis cavum ad magnitudinem ovi gallinacei, aëre inflato, expandi, oculis facile perspici queat. Tunica igitur vaginalis hoc in loco saccum, versus cavitatem abdominis apertum exhibit. Quamquam haec membrana primo intuitu simplex esse videtur, accuratius tamen examinata laminam internam, eamque tenuiorem processum peritonaei, externamque crassiores ab externo orificii canalis inguinalis limbo exortam, utramque vero ex hoc ipso loco intime conjunctam esse luculenter appet. Lamina interna circa se ipsam flectitur volviturque, in extremitate externa partem funiculi spermatici parvam, auterius vero epididymidem infra situm obducit, atque in tunicam testis albugineam transit; versus posteriora vero haec ipsa lamina marginem rectum, eumque inferiorem testis adit, unde plica magna triangularis versus caput epididymidis oritur, quae partem aliquam funiculi spermatici excipit, alia vero portio inter testem et epididymidem, liga-

mentum scilicet epididymidis praebet, minor tandem pars arcuata versus extremitatem internam testis progreditur. Lamina externa in telam cellulosam, quae marginem epididymidis inferiorem, vas deferens atque vasa in testem penetrantia circumdat, transit. In dextro latere tunica vaginalis eodem quidem se habet modo, attamen orificium internum clausum est, ejusque loco parvula tantum fovea, quam peritonaeum obducit, impressa appareat. Testes atque epididymis eatenus tantum a norma recedunt, quatenus ille dimidio minor est canaliculique seminales numero perpauci sunt, minusque succulent*i*, hic autem illo longior tenuiorque, ad internam testis extremitatem in longitudinem marginis ipsius inferioris circumflectitur.

Vesiculae seminales perparvae sunt, vasa vero deferentia et glandula prosta justa gaudent magnitudine.

etiam quod quatuor et unum invenimus. Quod si dicitur quod
autem deinde nullus est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non
est nisi secundum modum. Secundum modum. Quod si dicitur quod non
est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum.
Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum.
Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum.
Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum.
Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum.
Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum. Quod si dicitur quod non est nisi secundum modum.

secundum modum. secundum modum. secundum modum.